

J. Wang, préparation à l'agrégation de Lettres Modernes, 2021-2022
À rendre avant le lundi 27 septembre (casier au DSA)

Version latine n°2 : rhétorique et bons mots

Où sont abordées les différentes manières pour l'orateur de passer pour spirituel et de mettre les rieurs de son côté, et les difficultés y afférentes.

Adfert autem rei¹ summam difficultatem primum quod ridiculum dictum plerumque falsum est, saepe ex industria deprauatum, praeterea numquam honorificum ; tum uaria hominum iudicia in eo quod non ratione aliqua, sed motu animi quodam nescio an enarrabili iudicatur. Neque enim ab ullo satis explicari puto, licet multi temptauerint, unde risus, qui non solum facto aliquo dictoue, sed interdum quodam etiam corporis tactu lacessitur. Praeterea non una ratione moueri solet : neque enim acute tantum ac uenuste, sed stulte, iracunde, timide dicta ac facta ridentur, ideoque anceps eius rei ratio est, quod a derisu non procul abest risus. Habet enim, ut Cicero dicit, sedem in deformitate aliqua et turpitudine ; quae cum in aliis demonstrantur, urbanitas, cum in ipsos dicentis reccidunt, stultitia uocatur.

Cum uideatur autem res leuis, et quae a scurris, mimis, insipientibus denique saepe moueatur, tamen habet uim nescio an imperiosissimam et cui repugnari minime potest. Erumpit etiam inuitis saepe, nec uultus modo ac uocis exprimit confessionem, sed totum corpus ui sua concutit. Rerum² autem saepe, ut dixi, maximarum momenta uertit, ut cum odium iramque frequentissime frangat. Documento sunt iuuenes Tarentini, qui multa de rege Pyrrho sequius inter cenam locuti, cum rationem facti reposcerentur et neque negari res neque defendi posset, risu sunt et oportuno ioco elapsi. Namque unus ex iis « Immo, inquit, nisi lagona defecisset, occidissemus te », eaque urbanitate tota est inuidia criminis dissoluta.

Quintilien

¹ Renvoi à l'art de faire rire l'auditoire.

² (Ici) sens II, 5 dans le Gaffiot.